

Intermediate (Years 10-11) Virgil Aeneid 2 507-525

urbis utī captae cāsum convulsaque vīdit
līmina tēctorum et medium in penetrālibus hostem,
arma diū senior dēsuēta trementibus aevō
circumdat nēquīquam umerīs et inūtile ferrum 510
cingitur, ac dēnsōs fertur moritūrus in hostēs.
aedibus in mediīs nūdoque sub aetheris axe
ingēns āra fuit iuxtāque veterrima laurus
incumbēns ārae atque umbrā complexa penatēs.
hīc Hecuba et nātae nēquīquam altāria circum, 515
praecipitēs ātrā ceu tempestāte columbae,
condēnsae et dīvum amplexae simulācra sedēbant.
ipsum autem sūmptīs Priamum iuvenālibus armīs
ut vīdit, ‘quae mēns tam dīra, miserrime coniūnx,
impulit hīs cingī tēlīs? aut quō ruis?’ inquit. 520
‘nōn tālī auxiliō nec dēfēnsōribus istīs
tempus eget; nōn, sī ipse meus nunc adforet Hectōr.
hūc tandem concēde; haec āra tuēbitur omnēs,
aut moriēre simul.’ sīc ōre effāta recēpit
ad sēsē et sacrā longaevum in sēde locāvit. 525